



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1276 Usque Ad Annum 1312

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1766

VD18 90118251

§. 48. Papa Sardiniae Regem constituit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67012](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67012)

dit comitantibus se filio suo, & Archiepiscopo, Comiteque Varvicensi, præsente populo. Ibi Rex diffluens lacrymis, magna animi modestia errorum veniam petebat; fatebatur se non ita præfuisse subditis, ut debuisset: excusabat tributa eis imposita per necessitatem propulsandi hostes regni: spondebat se post reditum suum eis omnia redditurum; atque, si non rediret, commendabat eis suum filium coronandum. Archiepiscopus solutus in lacrymas id promittebat: & universus populus fidelitatem suam extensis indicabat manibus.

Secul. XIII.
A.C. 1297.

§. XLVIII.

Papa Sardiniae Regem constituit.

Jacobo Arragonum Regi eodem anno 1297 Romam delato Papa Bonifacius 4 Aprilis Sardiniam & Corsicam pro ipso ac omnibus ipsius posteris jure fiduciario contulit ea lege, ut Ecclesiae Romanae Rayn. 1297. certum copiarum numerum subministraret, & quotannis bis mille selibrarum argenti censum solveret. Possessionem ei tradidit per poculum aureum, & fidelitatis juramentum ab eo recepit. Hoc illi regnum jam sponderat per diploma 20. Jan. 1296 datum, cum eum Ecclesiae

Sæcul. XIII.

A.C. 1297.

Rayn. 1297.

#. 25.

fiæ Romanæ Vexillarium crearet. Sed in Italiam eum acciverat, ut ejus viribus uteretur in Columnas, quibuscum habebat discordiam in apertum usque bellum protensam.

§. XLIX.

Dissidium Papæ cum Columnis.

Preuv. diff.

p. 33. 34.

Rayn. to. 15.

app.

Die sabbati 4 Maji an. 1297 Papa Bonifacius sui conclavis scribam misit, qui Jacobo Columnæ Cardinali Diacono de S. Maria *In via lata*, & Petro Columnæ nepoti ejus pariter Cardinali Diacono de S. Eustachio diceret, ut ejusdem diei vespere se ipsos illi sisterent coram Cardinalibus, audituri, quid eidem placeret ad ipsos loqui, quia vellet scire, an esset Papa, hoc est, an ipsum pro Papa haberent. Duo Cardinales rati haud posse se obsequi huic mandato, nisi se in discrimen conjicerent, eadem se die excusabant per procuratores: qui non admissi postera die dominica in conclavi Papæ coram custodibus januæ reclamabant. Tum iidem Cardinales egressi Roma arcem Longeticam in ejus territorio sitam petebant. Ad ultimum membrum denunciationis, per quam citati fuerant, responderunt per litteras publicas, in quibus agebant: Nos te haud credimus esse Papam legitimum, idque indicamus

sacro